

opponents. Neque tunc ergo probabilitas unius opinionis adversam probabilitatem perimet.

Dices: Oppositæ probabilitates se habent ut vires mutuo confligentes, aut pondus aliquod in opposita extrema trahere conantes. Atqui in ejusmodi virium conflictu major vincit minorem. Ergo...

Resp. dist. Major. Se habent tamquam vires idem pondus in opposita extrema trahere conantes, ita tamen, ut neutra vim habeat sufficientem ad movendum pondus, *conc.* aliter *neg.* Etenim rationes probabilitate sola gaudentes vim non habent ad extorquendum assensum, nisi accedat voluntatis imperium: ideoque non solum minor sed major etiam probabilitas nequit intellectum permovere, nisi superveniat voluntatis impulsus, quo superveniente, minor quoque probabiliter potest ad assensum inclinare.

Minorem etiam *distinguo*. In hujusmodi virium conflictu major vincit minorem, destruendo illam, *neg.* prævalendo supra illam, *conc.*

Cæterum opinio, quæ, spectatis contrariis rationibus, suam non conservat probabilitatem; haud videtur nomen mereri probabilis opinionis (1).

Opinio relative
probabilis
potest esse minus
vel æque
probabilis,
probabilior et
probabilissima.

41. Opinio vero relative probabilis potest esse *minus*, *æque* aut *magis* probabilis, quam sua opposita, imo et *probabilissima*. Opinio vero *probabilissima* opposita eo ipso fit *leviter* probabilis aut *improbabilis*: id quod a fortiori dicendum est de opinione opposita sententiæ alicui quomodolibet, *certaine*, prudens quippe non est certæ doctrinæ reluctari. Contingere etiam potest, ut opinio aliqua, etiamsi non sit probabilissima, sit tamen unice probabilis, propterea quod non adsint rationes graves, nisi pro una parte contradictionis: quo in casu altera quidem erit improbabilis, non tamen necessario falsa. Jam enim monuimus posse opinionem, etiam probabilissimam, falsam esse, et consequenter contradictoria ejus, utcumque improbabilis, vera esse potest. Quo spectat illud effatum: *Multa sunt falsa probabiliora veris.*

(1) Cfr. Card. Ptolom., *Philosoph. mentis et sensuum*, dissert. 37. *Logico-Physica*, n. X.

Sed quæres, quodnam tandem rationum pondus reputandum sit *grave*, ut illi subnixæ opinio probabilis habeatur. Difficile sane est certam hac in re præscribere regulam, materia enim prudentialis arbitrio prudentum relinquenda est.

Dici tamen in primis potest, ad motivi gravitatem non tantum pondus requiri, quod errandi periculum omne removeat. Motivum ergo probabilis opinionis non debet esse infallibile, aut saltem non debet tamquam infallibile clare atque evidenter cognosci. Secus enim excluderet omnem formidinem; est autem essentialis opinioni esse assensum formidolosum, ut superius declaravimus.

Deinde ad probabilitatem opinionis per se non sufficient argumenta negativa, quæ solummodo dissolvant contrarias rationes. Sola enim objectionum solutio non alium effectum secundum prudentiæ dictamen obtinere potest, quam ut contrarius assensus suspendatur.

Illa ergo gravis ratio generatim dicenda est, cui innixus vir prudens judicare possit absque ulla levitatis temeritatisque nota. Id vero quondam locum habeat, ubi de intrinseca probabilitate est sermo, judicio prudentum permittendum est; si autem agatur de extrinseca probabilitate, id certo statui potest, auctoritatem plurium Doctorum ingenio ac doctrina præstantium, qui res solent solide pacateque tractare, si in eandem sententiam conspirent, esse grave fundamentum. Verum de his plura docebit Moralis Theologia.

42. Colliges hinc: 1.^o non idem esse *probabile* ac *possibile*. Multa sunt *possibilia*, quæ *probabilia* non sunt, immo falsa esse constat evidenter.

2.^o Opinionem supponere in objecto aliquam *improportionem* cum intellectu, ideo enim *opinamur*, quia objectum respectu nostri non habet vim sufficientem ad extorquendum assensum constantem omnique carentem formidine. Si enim objectum esset rite propositum ac proportionatum viribus intellectus, hunc ad firmam adhæSIONEM determinaret.

Dantur nimirum objecta, quæ omnium hominum captui ac lumini intellectuali accommodata sunt, et hæc ab omnibus certo atque evidenter cognoscuntur. Alia sunt objecta pro omnibus omnino dubia et imparia ulli assensui persuadendo, et peculiari vocabulo nominantur *neutra*. Alia sunt pro omni-

Quod
pondus
reputandum
sit grave, ut
probabilitatem
efficiat.

Non est idem
probabile
ac possibile.

Opinio importat
aliquam
improportionem
objecti cum
facultate,
nimirum
obscuritatem
atque
incertitudinem.

bus generatim probabilia. Alia demum pro aliis probabilia, pro aliis improbabilia, pro his magis aut minus probabilia, aut etiam certa, pro majori ingenii vi, cultura, studio, meditatione, aut etiam remotione a contrariis præjudiciis, et animi affectibus, quæ non parum solent aciem mentis, ne clare videat, obnubilare (1).

Immo respectu etiam ejusdem intellectus idem objectum ex probabili reddi improbabile potest, et vicissim ex improbabili probabile, probabilius, et etiam certum.

3.^o Ex hac objecti opinabilis improportione atque inevidentia procedit necessitas imperii voluntatis ad hoc, ut intellectus ponat assensum opinativum. Ipsum enim objectum sufficienter movere ac determinare nequit intellectum ad assentiendum ob suam improportionem atque obscuritatem (2). Nam *intellectus ex necessitate movetur a tali objecto, quoad est semper et ex necessitate verum*; (intellige dummodo sit evidens); *non autem ab eo, quoad potest esse verum et falsum, scilicet a contingentii* (3). Verum hæc eadem objecti inevidentia et periculum errandi exinde consequens efficiunt, ut nec ipsa voluntas per suum imperium, si prudenter agere velit, intellectum possit ad assensum firmum determinare, sed ad assensum dumtaxat formidolosum. Lege eundem S. Thomam (4).

Fides.

43. **Pauca jam accipe de Fide**, quæ est assensus propter testimonium alterius. Differt proinde ab aliis assensibus in motivo, illi enim intrinsicis inniuntur motivis, hæc autem extrinseco, nempe testantis auctoritate. Fidei actus habere potest certitudinem, quando nititur testimonio infallibili, ut fit in Fide divina, et in quibusdam adjunctis etiam in humana, quemadmodum suo loco demonstrabitur. Fere tamen humana fides non nisi probabilitatem præbere potest, atque adeo assensum importat opinativum, propter fallibilitatem humani testimonii. Sed plura de his inferius (5).

(1) Cfr. S. Thom. 2. 2. quæst. 1. a. 5. ad 4.^{um}(2) Vide S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 4; 3.^a dist. 23. q. 2. a. 2. solut. 1.^a; *de Veritate*, quæst. 14. a. 1.(3) S. Thom. 1. 2. q. 10. a. 2. ad 2.^{um}(4) S. Thom. 3.^a dist. 23. q. 2. a. 2. solut. 1.

(5) Num. 114.

CAPUT II.

DE CERTITUDINE.

Tria potissimum circa certitudinem præstanda sunt, primo conceptus illius enucleandus, tum vindicanda contra Scepticos existentia, declaranda denique quædam attributa proprietatesque.

ARTICULUS I.

Quid sit certitudo.

44. Certitudo dicitur a *certo*. *Certum* autem videtur in primis infallibilitatem, immobilitatem ac firmitatem quamdam portendere (1). Sic dicitur vulgo *certus* ictus, qui scopum secure attingit; mors *certa*, quæ vitari nequit, sed infallibiliter oppetenda est; hæreditas *certa*, quæ alicui destinata irrevocabiler est; voluntas *certa*, quæ firmiter aliquid facere decrevit. Primo tamen ac principaliter certitudo attribuitur cognitioni ac virtuti cognoscitivæ, unde in alias res derivatur eadem denominatio, quemadmodum censent communiter auctores cum Aquinate (2).

Certum generatim importat infallibilitatem et firmitatem.

Describi autem generatim potest certitudo *firmitas adhesionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile* (3). Tunc porro vere ac simpliciter firmitas adhesionis habetur, quando non solum intellectus constanter ac tenaciter objecto assentitur per plenam formidinis exclusionem; sed etiam quando ipse actus ita constanter positus nequit a vero aberrare, sed infallibilitate ornatur. Ex qua definitione illud statim colligitur, certitudinem non simplicis apprehensionis, quæ adhesionem non continet, sed iudicii dotem dumtaxat

Generalissima certitudinis descriptio.

Certitudo non est diu simplicis apprehensionis, sed iudicii.

(1) Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 18. a. 4.

(2) S. Thom. *ibid.*, et 3.^a dist. 26. q. 2. art. 4. in corp., et ad 1.^{um}; et alibi.(3) S. Thom. 3.^a dist. 26. q. 2. a. 4. in corp. Cfr. *de Veritate*, q. 14. a. 1. ad 7.^{um}

esse. Deinde firmitas hæc adhesionis non quomodocumque accipienda est, sed ea quæ prudens sit, quæque proinde ex meritis ipsius enuntiabilis, ex motivis nempe firmis riteque perpensis enascatur. Nam certitudo ab omnibus generatim apprehenditur tamquam præstantissima perfectio cognitionis; assensus vero firmus, aut præter vim motivorum objectivorum aut inconsulte ac temere positus, certe prudens non est, nec perfectionem continet, sed vitium summopere fugiendum in scientiis. Quare firmitas illa adhesionis, ut vere ac simpliciter certitudo nominetur, duo includat necesse est, constantiam ac tenacitatem ex parte intellectus in assentiendo per exclusionem omnis formidinis de opposito, et infallibilitatem ipsius assensus. Et sic actus simpliciter certus excludit et formidinem et fallibilitatem, quæ sunt imperfectiones actus opinativi proprie.

45. Verum ut in re tanti momenti distinctius et accuratius procedamus; observandum est tria in cognitione prædicari posse certa: potentia cognoscens, ipsa cognitio, et objectum, ad quod hæc terminatur: unde triplex certitudo distinguitur, *subjectiva* seu *adhæsiva*, *formalis* seu *inhæsiva* et *objectiva*. De quibus seorsim breviter est dicendum: neque enim unus idemque est trium harum certitudinum conceptus.

Certitudo subjectiva seu adhæsiva propria est potentia ipsius, estque firma mentis adhesio ad objectum quod verum existimatur: et hæc videtur potissimum describi per illam Angelici definitionem, qua certitudo dicitur *determinatio intellectus ad unum* (1). Hujusmodi certitudo, ut vides, importat conditionem prorsus oppositam formidini ac trepidationi, quam adesse diximus assensui opinativo, quocirca vocatur quoque certitudo *inadubilitatis*; nec per se necessario postulat veritatem atque infallibilitatem cognitionis, quæ sic absque formidine actuali ponitur ab intellectu. Nam constantia et tenacitas adhesionis formidinem excludentis ex triplici capite potest existere: α) ex eo quod, rite penetratis rationibus ac motivis, firmum assensum persuadentibus, nullum delegatur erroris periculum et causa formidandi; β) ex eo quod

(1) 3.^o dist. 23. q. 2, quæstiunc. 3, in corp.

leviter atque inconsulte motivis haud satis perpensis, iudicium proferatur: γ) denique ex voluntatis imperio, sive prudenti sive imprudenti. Ita etiam, quod quis per campum gradiens, nullas formidet insidias, fieri potest, vel quia post locum bene lustratum nullæ reperiuntur; vel quia ex animi levitate ac præcipitantia non satis attenditur ad pericula, quæ latere possunt; vel demum quia voluntas non sinit aliquos excitari timoris motus, vel subortos compescit. Quare vides jam certitudinem subjectivam non postulare ex sua natura veritatem actus infallibilitatemque.

46. **Formalis certitudo seu inhæsiva** propria est cognitionis, definiturque *necessaria et intrinseca connexio actus cum objecto*; vel *infallibilitas cognitionis, cui falsum subesse nequit*; vel si mavis, *intrinseca repugnantia cognitionis cum falsitate* (1). Hæc ergo certitudo primum importat in actu cognitionis connexionem ipsius et conformitatem cum objecto, scilicet veritatem. Id tamen potest etiam actui opinativo convenire, nam sunt quoque opiniones veræ. Addit ergo formalis certitudo aliud, per quod ab opinione discriminetur, nempe ut connexio, quam habet cum objecto, *intrinseca* sit ac necessaria; nam actus formaliter certus talem habet tendentiam, ut *ex sua natura et exigentia* sit infallibilis, omnique repugnet falsitati.

Hinc patet, quantum distent inter se actus *verus, opinativus* ac *formaliter certus*. Non enim omnis actus verus est

Formalis certitudo quid.

Quid differant actus verus, opinativus et formaliter certus

(1) Vide Joann. Martinez de Ripalda, *de Fide*, disp. 11, sect. 2; Suarez, *de Fide*, disp. 6, sect. 5; Molina in 1. p. q. 1, art. 5; Haunold, *de Fide*, Controvers. 4, n. 271; Conimbric., *Dialect.*, in lib. 1.^o *Posterior.*, cap. 26, quest. 1, art. 3; Hurtad., *de Anim.*, disp. 8, sect. 4; Izquierd., *Pharus scientiar.*, disp. 5, quest. 1; Cardin. Ptolom., *Philos. mentis et sens.*, dissert. 35 *Logico-Physica*; Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 1, n. 4. etc.

Estque definitio hæc omnino ad mentem Aquinatis, qui non uno in loco certitudinem per infallibilitatem cognitionis declarat. *Est... inquit, aliquis rationis processus necessitatem inducens, in quo non est possibile esse veritatis defectum; et per hujus rationis processum scientiæ certitudo acquiritur*. Lib. 1.^o *Poster. Analyt.*, lect. 1, paulo post initium. Cfr. 1. 2. q. 40, a. 2 ad 3.^{um}; 2. 2. q. 18, a. 4; *de Verit.*, q. 6, a. 3; *de Virtutib.*, q. 4, art. 1. ad 10.^{um}; 3.^o dist. 26, q. 2. a. 4. in corp.; 1.^o *Posterior. Analyt.*, lect. 44, paragr. c.

Quid importet firmitas adhesionis.

Triplex certitudo:

Subjectiva quid:

non postulat necessario veritatem.

certus, sed potest esse etiam opinativus. Si verus est solummodo extrinsece, propterea quod objectum ita de facto se habet, licet ipse per se indifferens sit, ex specifica sua natura modoque tendendi, sive ad veritatem sive ad falsitatem; opinionem dumtaxat constituit, neque ad formalem certitudinem pertinet, dum talis non sit, qui ex ipsis intrinsecis prædicationibus suis determinatus sit ad veritatem (1).

Probatur
allata
certitudinis
formalis
definitio.

47. Ita explicata definitio certitudinis formalis probatur. Nam actus formaliter certus distingui debet ab omni actu formaliter incerto. Atqui distinguitur sufficienter per hanc intrinsecam infallibilitatem et connexionem cum veritate. Omnis enim cognitio incerta indifferens est secundum se cum objecti sui existentia et possibilitate: unde etiamsi objectum non esset aut etiam repugnaret, idem ipse actus manere posset, eodem modo referens illud.

Præterea «cognitio intrinsece affixa objecto vero, a scopo veritatis aberrare non potest. Cognitio autem suapte natura semper attingens scopum veritatis, et ex se nunquam potens errare ab illa, incerta non est» (2).

Radix
certitudinis et
infallibilitatis
in actu.

Jam si quæras, undenam possit advenire actui certo hæc intrinseca connexio cum veritate, respondebo eam ex duplici capite oriri posse: α) ex principio *efficienti*: β) ex *principio formali* seu *motivo*. Ex principio efficienti habent absolutam infallibilitatem actus supernaturales cognitionis, elicitum ex auxilio gratiæ; repugnat enim actus productos ex concursu auxilii supernaturalis falsitate turpari, quemadmodum supponimus ex Theologia. Ratione principii formalis connectuntur intrinsece cum veritate actus illi, qui ex tali motivo seu fundamento ponuntur, quod necessario inferat enuntiabilis veritatem. Sic impossibile est cognitionem innixam auctoritati divinæ, aut motivo evidenti, falsam esse.

Quid objectiva
certitudo.

48. Tandem objectiva certitudo aliud non est, quam ipsa objecti seu enuntiabilis necessitas. Et videtur esse denominatio, quæ ab actu *certo* derivatur in objectum ipsius. Quemadmodum enim objectum transcendentaliter seu meta-

(1) Vide Ripalda, qui præclare de hac re, loc. cit., sect. 1, n. 5, 6 seqq. Cfr. Hurtad. et Izquierdo locis citatis.

(2) Ripalda, ibid. sect. 2, n. 11.

physice verum est ens, quod vera cognitione cognoscibile est, ita etiam dicitur objectum seu enuntiabile certum illud, quod cognitione certa potest attingi. Ubicumque autem actus certus invenitur, objectum ejus aliquam habeat necessitatem atque infallibilitatem, oportet. Necessitas porro est impossibilitas oppositi, vel determinatio ad unum; sicut e contrario contingentia est indifferentia ad unum vel aliud. Illud quippe necessarium dicimus, quod ita est, ut aliter esse non possit.

Jam necessitas hæc multiplex esse potest, primo enim dividitur in *essentialem* seu *metaphysicam*, *physicam* et *morallem*. Essentialis seu metaphysica est illa, quæ derivatur ex relationibus rerum essentialibus, ideoque insuperabilis est per quamcumque potentiam, etiam divinam. Talis est necessitas horum enuntiabilium: *Homo est animal: Homo non est asinus*. Necessitas physica seu naturalis est illa, quæ efflorescit ex legibus viribusque naturalibus rerum ad certo quodam modo agendum determinatis: estque insuperabilis per omnem creatam virtutem, et solum per miraculum omnipotentie divinæ vinci potest. Hujusmodi necessitate determinatur ignis ad comburendum, et gravia ad ruendum in centrum, nisi fulciantur. Demum necessitas moralis propria est illa impossibilitas oppositi, quæ licet etiam per creatam virtutem et absque miraculo superari posset, tamen non solet ordinarie superari. Ita moraliter impossibile est, ut homo musicæ ignarus ita scite manus admoveat instrumento, ut integram symphoniam Rossini sonet. In his aliisque similibus oppositum quidem nunquam contingit, sed si contingeret, non esset miraculum, multoque minus chimæra aliqua.

Quid et
quotuplex
necessitas.

Est etiam alia necessitas moralis *latior*, quæ non est propria et stricta necessitas, et consistit in magna difficultate oppositi, quæ interdum vinci solet, licet rarius. Ita moraliter impossibile est, ut homo vitam protrahat usque ad centessimum annum, ut in diversorio dapes venenate ad mensam apponantur etc. Hæc latior moralis necessitas seu oppositi impossibilitas generat opinionem probabilissimam, non autem strictam certitudinem (1).

Necessitas
moralis latior,
æquivalens
maxime probabi-
lilitati.

(1) Vide Card. Ptolom. Op. cit. *Dissert. Logico-Phys.* 7, sect. 2; Izquierdo, *Pharus*, disp. 2, quæst. 5, n. 281.

Necessitas
absoluta
et hypothetica.

Alla quoque est necessitatis distinctio in *absolutam* et *hypotheticam*. Absoluta est illa, quæ rei convenit, spectata ipsius essentia, et independenter ab omni conditione. Sic Deus necessario est immortalis, et homo est animal. Hypothetica est illa, quæ rei competit, supposita aliqua conditione. Sic mundus existere debet, supposito divino decreto de ipsius creatione. Et hanc hypotheticam necessitatem potest habere quæcumque res cæteroquin in se ipsa contingens: nam *omne quod est, necesse est esse, quando est, et omne quod non est, necesse est non esse pro illo tempore, quando non est*, inquit S. Thomas (1) cum Stagirita (2).

Quando ergo objectiva certitudo dicitur esse ipsa objecti necessitas, id videtur intelligendum de quacumque necessitate, sive absoluta, sive hypothetica, metaphysica, physica et morali stricta. Atque ita possunt conciliari diversæ auctorum rationes loquendi, aliis explicantibus objectivam certitudinem per objecti necessitatem, aliis vero per hoc, quod aliquid potest esse objectum actus certi. Quia cum certus actus ex natura sua postulet veritatem, debet terminari ad objectum aliquo saltem modo, sive absolute sive hypothetice, necessarium. Quamquam enim enuntiabile aliquid sit absolute et in se contingens, taleque, quod potuerit aliter se habere, nihilominus dum hic et nunc est certo aliquo modo, jam habet necessitatem hypotheticam, atque adeo actum certum terminare potest. Sic possem ego nunc non scribere; sed quoniam de facto scribo, jam non possum hic et nunc, dum scribo, non scribere, et ita certo cognosco scriptionem meam. Et simili modo certo cognoscimus plura facta in se et absolute contingentia, quæ experientia innotescunt, quia indifferentiam, quam ex sua natura absolute habebant, ut essent vel non essent, vel ut sic aut aliter essent, jam non amplius retinent, sed sunt ad unum determinata atque adeo hypothetice necessaria.

(1) Lib. 1. *Periherm.* lect. 15. Cfr. lect. 14, et 1. p. q. 14, a. 13 ad 2.^{um}; quest. 10, a. 3; 1. p. q. 86, a. 3; *de Verit.* q. 24, a. 1. ad 13; *Contra Gent.* lib. 2, cap. 55 in fine, et cap. 30 fin. Vide etiam Boetium, *de Consolatione Philos.*, lib. 5, prosa ult., a medio.

(2) *Periherm.*, lib. 1., cap. ult., text. 10 (alias lib. 1. cap. 9).

Comparantur
inter se res
predictæ
certitudines.

49. Jam si has tres certitudines invicem comparare velimus, videbimus profecto: 1.^o formalem esse non posse absque reliquis duabus, has vero posse sine illa. Si enim inductionem faciamus omnium actuum nostrorum intrinsece ac natura sua infallibilium, reperiemus in illis firmam quoque adhesionem ex parte mentis, ac necessitatem, saltem hypotheticam, et consequentem ex parte objecti. Verum datur interdum firmus ac pertinax in intellectu assensus, omnem excludens formidinem, absque veritate, ac proinde sine formali certitudine; ut videre est in hæreticis, qui haud minus fortiter adherent suis erroribus, quam catholici fidei christianæ dogmatibus; et in aliis bene multis, qui manifesta deliramenta incredibili pertinacia, securissimè nihilque titubantes sectantur (1). Quocirca recte scripsit Aristoteles: *Nonnulli... non minorem fidem habent iis, quæ opinantur, quam alii iis, quæ sciunt* (2). Certitudo etiam objecti potest esse sine formali, ut patet; neque enim omne objectum in se certum aut necessarium, ac certa cognitione intelligibile semper de facto formali certitudine cognoscitur, sed sæpe actus pure opinativi exercentur circa objectum in se necessarium.

2.^o Certitudo objectiva minus proprie appellatur certitudo, hæc enim proprie dos est cognitionis ac virtutis cognoscitivæ; in objecto autem meram denominationem extrinsecam importat. Certitudo quoque subjectiva, nisi conjunctam habeat formalem, non meretur nomen certitudinis simpliciter, sed tantum secundum quid. Nam certitudo censetur ab omnibus tamquam perfectio cognitionis ac mentis nostræ; firmitas autem adhesionis per se spectata, non necessaria perfectionem involvit, sed potest etiam imperfectionem afferre summopere philosopho detestandam, si nimirum ejusmodi per se indifferentia mentis oriatur: unde firmitas ejusmodi per se indifferentis est ad veritatem vel falsitatem cognitionis. Ad rem S. Thomas: *Certitudo adhesionis non est propria virtutis fidei. Primo quidem, quia convenit virtutibus intellectualibus, puta sapientiæ, scientiæ, et intellectui. Secundo quia convenit non solum fidei*

(1) Vide S. Thom., *Quodlib.* 6, q. 4, a. 6, in corp. et ad 1.^{um} Cfr. 2, q. 2, a. 6 ad 3.^{um}

(2) Arist. 7.^o *Ethicor.* cap. 3.

veræ, sed etiam falsæ. Sicut enim est opinio vera et falsa, ita et fides: nec minus firmiter inhæret aliquis veritati, quam falsitati, (forte contra) ut Philosophus dicit in 7.^o Ethicorum. Tertio, quia certitudo inbasionis non semper provenit ex aliquo habitu; sed ex proprio arbitrio aliquis potest assensum suum firmare ad aliquid verum vel falsum, antequam habeat habitum etc. (1).

3.^o Certitudo adhæsiva augeri vel minui potest ex imperio voluntatis; Reliquæ vero prorsus independentes sunt a voluntatis influxa. Neque enim hæc efficere potest, ut objectum sit in se magis aut minus necessarium, vel ut cognitio aliqua magis aut minus repugnet falsitati.

4.^o Denique actus formaliter certus specificè differt ab actu opinativo; actus vero tantum ex eo quod subjective certus sit, non intrinsece discriminatur ab opinione, cum infici falsitate possit, sed extrinsece dumtaxat, nimirum ratione constantiæ ac tenacitatis, quo ab intellectu ponitur absque actuali formidine ac titubatione. Quæ cum ita sint.

Nomine certitudinis simpliciter intelligenda est formalis, quæ et firmitatem in adhærendo ex parte intellectus, et infallibilitatem ex parte cognitionis ipsius complectitur, secundum illam definitionem, quam initio ex Angelico proposuimus.

50. Certitudo dividitur in metaphysicam, physicam et moralem. Metaphysica est illa, cujus motivum repetitur ex essentialibus rerum relationibus, aut gaudet necessitate essentiali, et impossibilitate oppositi, quæ nulla prorsus potentia superari potest. Talis est horum iudiciorum certitudo: *Totum est majus sua parte: Homo est rationalis*. Physica est, cujus motivum repetitur ex legibus physicis, aut etiam ex propria sensuum experientia. Ita iudicio *ignem comburere; chartam hanc, in qua scribo, candidam esse, existere* etc. Moralis denique, cum sumitur per comparisonem ad metaphysicam et physicam, modo declaratas, illa intelligitur, in qua motivum assensus est aliquid habens necessitatem moralem, et plerumque auctoritas humana, quæ ob constantiam legum moralium habet quandoque plenam vim gignendi assensum firmum atque infallibilitatem. Etsi enim homines pro sua libertate sæpenumero alii aliter in iisdem circumstantiis ope-

(1) S. Thom., *Quodlib.* 6. q. 4. art. 6.

rentur, tamen in pluribus casibus etiam datur in omnibus certus quidam modus agendi: hique modi constanter operandi vocantur leges morales, quarum aliqua viget, ubicumque auctoritas plenum habet robur, ut suo loco res declarabitur. Sic morali certitudine credo *existentiam Berolini*, et *bella Romanorum contra Carthaginem*, aliaque innumera facta historica (1).

Noto interea *moralem* certitudinem ac *physicam* solere quandoque in alio sensu accipi per ordinem ad exclusionem formidinis. Nam physica dicitur illa, quæ nullam compatitur formidinem, ne imprudentem quidem. Hujusmodi certitudo habetur generatim circa prima illa principia evidentissima, quæ *axiomata* vocantur. Moralis vero est illa, quæ imprudenti aliqua formidine tentari potest, ex quocumque demum capite petantur assensus motiva. Talis adest certitudo in quibusdam demonstrationibus, quæ licet motivis metaphysicis innitantur, vel ob materiæ difficultatem vel ob minore evidentiam gradum, non penitus excludunt potestatem imprudentis formidinis, licet non permittant prudentem (2).

Dividitur etiam in *absolutam* et *hypotheticam*. Absoluta est illa, quæ a nulla conditione dependet, atque adeo in nullo unquam eventu fallere potest per quamque potentiam: hypothetica est, quæ conditionem aliquam subaudit, qua proinde deficiente, fallere potest. Sola metaphysica, superius descripta, est absoluta; physica vero et moralis hypotheticæ sunt, quia illa per virtutem omnipotentiam Dei impeditent conditionem, hæc per physicam potentiam et libertatem hominis absolute deficere potest. Etenim motivum metaphysicæ certitudinis tale est, quod deficere numquam possit, etiam per virtutem divinam. Motivum autem physicæ certitudinis adhuc dependet ab aliqua conditione, nimirum ex eo

(1) Moralem hanc certitudinem indigitasse videtur Augustinus illis verbis: *Absit, ut scire nos ne gemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse Oceanum, nasciremus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendat*. Lib. 15 de *Trinit.*, cap. 12. 13.

(2) Vide Izquierdo, *Pharus scient.* disp. 5. q. 1. n. 9. 10; disp. 4. quest. 2. n. 18; Cardin. Ptolom., *Philos. mentis et sens.*, dissert. 35 *Logico-Physic.*, sect. 3. n. 4.

Moralis ac physica certitudo in alio sensu acceptæ.

Nomine certitudinis simpliciter intelligenda formalis.

Divisio certitudinis in metaphysicam, physicam et moralem.

quod Deus non patret miraculum, quia quamquam leges physicae de se determinatae sunt necessario ad unum, adhuc tamen suspendi possunt absolute. Idem dic a fortiori de motivo moralis certitudinis, quod etiam absque miraculo potest, licet difficillime, deficere.

ARTICULUS II.

De existentia certitudinis contra Scepticos.

51. Antiqua fuit ac celebris divisio philosophorum in *dogmaticos* et *scepticos*. Dogmatici contendebant omnium rerum certam cognitionem comparari posse; sceptici vero e converso nullius rei admittebant scientiam. *Videtur quibusdam, inquit Anglicus (1), quod nullius rei sit scientia. Quibusdam autem videtur, quod sit scientia, et quod omnium possit haberi scientia per demonstrationem. Neutrum autem istorum est verum.*

De dogmaticorum errore nihil est necesse hic dicere; unum dumtaxat notabo, contra nonnullorum calumnias, Scholasticos ac peripateticos longe abfuisse ab illa insaniam, ut facile per se quisque poterit scire, si veterum illorum sapientium volumina velit paulisper tractare (2).

Itaque agendum nobis hic est solummodo de scepticismo. Quamquam incredibile videatur existere potuisse Philosophos, qui omnem certitudinem ac scientiam eripere generi humano niterentur, non defuerunt nihilominus ab antiquissima aetate, qui portentosum hunc errorem acriter pertinaciterque propugnarent, *sceptici* nimirum et *academici*.

Scepticorum princeps et antesignanus habetur eleus Pyrrho, primum pictor, dein comes Alexandri Magni in bellica expeditione (3). Hic bina illa principia Socratis amplexus:

(1) Lib. 2.^a *Posterior*. lect. 7. Vide Lactant. Firmian., *Divinarum Instit.*, lib. 3, cap. 6.

(2) Cfr. S. Thomas *ibid.* cum Aristotele., Lactant. Firmian. *ib.*

(3) Vide superius dicta in *Introductione ad univ. Philos.*, n. 29. Semina tamen Scepticismi jecisse videntur Heraclitus Ephesinus (Cfr. S. Th. 1. p. q. 84, a. 1.), et Protagoras Abderensis (Cfr. Balmes et Card. Gonzalez et Tennemann in suis Historiis Philosophiae), et Gorgias Leontinus (ap. Gonz. *ibid.*)

Philosophi
dogmatici
et sceptici

Exponitur
scepticismus.

Pyrrho:

Id solum scio, me nihil scire, et Summum bonum est in virtute constitutum, usque adeo progressus est, ut scientiam et inutilem et obtentu impossibilem esse contenderet.

Doctrina scepticorum est, nos apparentias solas rerum (*φαίνομενα*) minime vero realitatem ipsam (*νύμμενα*) cognoscere (1): quaevis enim propositio adversis hinc inde oppugnatur propugnaturque aequalis momenti rationibus (2): hinc *ἀντιλογία* et *ἀντιθέσις*, seu etiam *ἰσοθέθεια τῶν λόγων* (pugna et aequipollentia rationum) ex qua necessario consequitur *ἐπαχή* seu retentio iudicii. Quare debere sapientem sustinere seu suspendere (*ἐπέχειν*) iudicium, et in moribus ad impassibilitatem quamdam (*ἀπάθειαν*) adniti. Haec suspensio iudicii vocata est (*σκέψις*) examen seu consideratio: Unde Pyrrhonicus dicti fuerunt *σκαπτικοί*, *ζητητικοί*, et *ἀπορητικοί*, seu *consideratores*, *quasitores*, *dubitatores*, quia inquirunt quidem scientiam ac certitudinem, considerant et examinant objecta cognitioni nostrae proposita, sed dubitatione contenti numquam audent iudicium ferre de rebus.

Pyrrhonis doctrinam amplexus est auxitque illius amicus et discipulus Timo, qui dicitur ad iudicii suspensionem persuadendam decem celebres rationes excogitasse, quae *ἐπιλογῆς τῶσδε* dictae sunt, quamquam eas alii Pyrrhoni velint attribuere. Inter nobiliores antiquitatis scepticos recensendi sunt hic Aenesidemus, qui causalitatis principium multis sophismatibus frustra oppugnandum suscepit (3); Sextus Empiricus (4), qui libris scriptis (5) scepticismum lucide exposuit atque defendit, et alter medicus empiricus Agrippa, qui decem *ἐπιλογῆς* motiva, a Timone vel Pyrrhone inventa, ad quinque revocavit.

Scepticis affines sunt Academici, quorum somnia fuisse acriterque impugnavit S. Augustinus (6).

(1) Vide sext. Emp., *Hypotypos.* lib. 1, c. 10, sect. 19, 20.

(2) Vide Diogen. Laert. lib. 9, segm. 6.

(3) Vide Illm. Gonzalez in *Historia Philos.* paragr. 97, edit 1886

(4) Ita dictus ex Medicorum secta, ad quam pertinebat. Vide superius dicta in *Introductione* n. 38.

(5) Notissima sunt ejus duo opera *Pyrrhonicarum hypotyposeon seu institutionum*, et *Adversus Mathematicos*.

(6) De Academicis vide dicta in *Introductione* n. 30.

Timo;

Aenesidemus;

Sextus
Empiricus;

Agrippa.

Academici:

Arcesilas,

Illorum dux ac magister fuit Arcesilas Pritane in Æolide natus, novæ seu mediæ Academiæ institutor, qui cum ferre æquo animo non posset novas Zenonis Citticensis doctrinas, dogmatismum redolentes, et argumenta in Academiam ab ipso directa, cepit adversarium suum oppugnare, stoicæ potissimum sectæ, cuius auctor ille fuerat, dogmata severissimo committens examini (1). Quo in examine, dum adversarii absurdas assertiones et contradictiones amplificaret, eo demum devenit, ut persuasam omnibus vellet impossibilitatem certæ ullius cognitionis, quam ἀκαταληκτὸν dixit, seu incomprehensibilitatem (2). Negavit enim sufficiens ullum suppetere veritatis criterium ac certitudinis, unde ἐπινοή seu iudicii suspensio consequitur et generale dubium.

Itaque academici ne ipsum quidem principium Socratis: *Hoc unum scio, me nihil scire*, certum omnino atque indubium esse voluerunt. Admiserunt tamen verosimilitudinem ac probabilitatem (τὸ πιθανόν), nec ipsam veritatis existentiam negarunt, sed solum contendebant eam a nobis certo percipi non posse (3).

Quæ cum ita sint, nihil mirum, si Lactantius vocarit Arcesilam *ignorantiæ magistrum*, (4), et scepticum systema *novam non philosophandi philosophiam* (5).

Carneades,

Arcesilæ vestigiis institit Carneades Cyrenensis, qui novissimæ Academiæ fundator existimatur, alique minus nobiles antiquitatis philosophi (6).

Ex his vides, vix academicos a scepticis discriminari; ideoque illorum systema communi vocabulo scepticismus appellatur, et est illorum sententia, qui dubitandum de omnibus esse, nihilque certo a nobis cognosci posse autumant.

(1) Vide S. August., *Contra Academ.*, lib. 2., cap. 5 et 6.(2) Vide Ciceron. *Academ. post.*, lib. 1., c. 12. Cfr. Balmes, *La Nueva Academia*.(3) Vide Ciceron., *Academicor. prior.*, lib. 2. cap. 23; Sext. *Empir.*, *Hypotypos.* lib. 2. cap. 23.(4) *Divinarum Institut.* lib. 3., c. 6.(5) *Ib.* cap. 4.(6) De dogmatis Academicorum videri possunt S. August. et Ciceronis locis citatis, et Lactantius Firmianus (*Divinarum Inst.* lib. 3., cap. 3., 5.

Quamquam sunt nonnulli, qui censent hoc differre academicos a scepticis, ut illi docerent nihil unquam posse ab humana mente certo cognosci seu comprehendi, sceptici vero forte non statuebant absolutam ἀκαταληκτὸν seu incomprehensibilitatem; sed tantum negabant hactenus comprehensam reapse fuisse veritatem (1).

Præterea academici, secus atque sceptici, probabilitatem seu verosimilitudinem admittebant, unde probabile sequebantur etiam tamquam regulam morum (2).

Neque vero putes has scepticismi nebulas dissipatas in perpetuum fuisse exorto lumine Evangelii. Nota enim sunt nomina Michaelis de Montaigne (3), Francisci Sanctii seu Sanchez (4), Foucherii (5), Petri Danielis Huetii (6), Petri Charron (7), aliorumque bene multorum, qui scepticismum plus minus professi sunt; ut taceam de Petro Bayle (8), Humio, Kantio, cum tota Idealistarum ac Transcendentalium turba.

Quæres autem, quam certitudinem convellere contendat scepticismus. Duplex enim certitudo hic distingui potest, *vulgaris* et *philosophica*. Vulgaris est illa, quam omnes homines habent de multis rebus sponte nature; philosophica vero est ea, quæ comparari nequit nisi ex accurato examine motivo-rium ac fundamentorum, quæ firmum postulant assensum. Hæc duplex certitudo non differt intrinsece atque essentiali-

Posteriores
Sceptici.Certitudo
vulgaris et
philosophica(1) Cfr. Sansverinò, *Elementa Philos. christ., Criteriologia* art. 6, n. 109; Palmieri *Logica-Critica* thes. 3.*; et Tennemann., tom. 1. paragr. 190.(2) Cfr. Sansverinò, *Op. cit. ibid.*(3) *Essai* liv. 2, c. 12. liv. 3, chap. 8, 13.(4) In opere, *De multum nobili et prima universali scientia quod nihil scitur*. Cfr. Gonzalez t. 2.(5) *Lettre par un Académicien et Apologie des Académiciens*.(6) *De infirmitate humani intellectus*.(7) *De la Sagesse*.(8) In *Dictionario historico-critico* passim certissima quæque cavillis ac dubitationibus evertere nititur. Vide superius *Introductionem*, nn. 82, 108, 102, 111.

Scepticismus quoque jure acenseas Jouffroy, Laménais, cæterosque Philosophos, qui, cum criteria veritatis statuunt omni valore destituta, latas pandunt portas scepticorum assulibus.

ter, sed solum extrinsece. Utraque enim assensum firmum importat, sed philosophica est magis excolta, proceditque ex majori reflexione ac consideratione motivorum, quibus progignitur; dum vulgaris sponte enascitur absque studio et scientifica fundamentorum inquisitione, licet non omni reflexione careat. Præterea philosophica ad multo plura et abstrusiora objecta se extendit pro scientiarum multiplici varietate, unde *scientifica* quoque appellatur, vulgaris autem faciliora et obvia quæque respicit, quæ ad usum humanæ vitæ pertinent. Quare altera vocata est philosophica vel scientifica, quia propria est Philosophorum, scientiamque ingenerat; altera vulgaris, et naturalis, quia communis omnibus est, ipsis etiam Philosophis, cum non agunt Philosophos (1).

Sceptici ergo videntur philosophicam tantum negare et aggredi certitudinem: naturalis enim ac vulgaris tanta evidentia et necessitate sentitur ab unoquoque nostrum, ut ejus existentiam inficiari nemo possit. Huc ergo redit totum opus scepticorum, ut certitudinem illam, quam ex conscientie testimonio experimur omnes, rationi minime consentaneam esse velint (2). Quin antiquiores saltem sceptici ab universali certitudinis naufragio exceptas videntur voluisse propriam existentiam, affectiones subjectivas, impressiones ab objectis receptas, existentiamque proinde apparentiarum seu phenomenorum (3), et dubium restrinxisse ad naturam et objectivam rerum realitatem.

Age vero videamus, quid sit de hoc systemate, scientiæ omnis inimico, definiendum.

52. PROPOSITIO 1.^a Cum eo, qui perfectum atque universalem profitetur scepticismum, nulla potest institui disputatio.

Probatur: Ad ineundam quamlibet disputationem, oportet aliqua certa supponere ac concedere, ex quibus deinde

(1) Vide Jacobum Balmes, *Filosofia Fundamental*, tom. 1, cap. 3.

(2) Cfr. Balmes, *Op. cit.* c. 2, n. 10.

(3) Vide Illum. Gonzalez, *Historia*, tom. 1, paragr. 91, *Escepticismo Pirrónico*; Sanseverino, *Op. cit.*, *Criterolog.* art. 6, n. 116; Palmieri, *Logica-Critica*, thes. 3; Balmes, *Filos. Fund.* t. 1, Not. 2, supra cap. 2.^{um}

ad alterutram partem controversiæ persuadendam fiat progressio. Atqui perfectus scepticus nihil concedit, nihilque certum supponit, utpote qui assensum in omnibus esse retinendum existimat. Ergo...

Major: Omnis namque disputatio ratiocinationes continet ac demonstrationes, cum sit ostensio alicujus ignoti per notiora. Omnis autem demonstratio debet supponere certa ac stabilia principia (1), tum illa, quæ loco præmissarum assumuntur ad concludendum, tum illa, in quibus forma ipsa rectæ argumentationis nititur: itemque supponere debet aptitudinem rationis ipsiusque demonstrationis ad verum obtinendum. Ut nihil dicam de propria existentia, deque statu vigiliæ ac sanæ mentis, quæ pariter pro certis habenda sunt, antequam instituaturs disputatio.

Ad rem S. Thomas (2): *Omnis ratio et demonstratio hoc modo procedit, scilicet concedendo et exquirendo rationem alicujus dicti. Sed illi, qui nihil concedunt, interimunt disputationem, et omnem argumentativam rationem. Unde ad eos non potest haberi sententia ratiocinationis, per quam a suo errore tollantur.*

Dices: Ergo scepticismus refutari non potest, cum nihil concedatur a sceptico, unde exordiri disputatio cum ipso possit.

Respondeo negando illatum. Aliud est, quod scepticus ipse revinci non possit, et aliud est, quod ejus systema falsum ostendi nequeat. Neque lapis revinci potest, quia nullam admittit rationem, id vero non vetat, ut circa lapidem demonstrationes vere fiant pro iis, qui ratione utuntur. Itaque disputatio hæc nostra non tam dirigetur ad scepticos, quorum parva spes affulget correctionis, quam ad sanos

(1) Vide S. Thom., *Metaphysicor.* lib. 4, lect. 6; Clement. Alexandrin. *Stromat.* lib. 8., *Aut omnia egent demonstratione, aut etiam quædam ex his sunt credibilia. Sed si prius quidem verum est, uniuscujusque demonstrationis petentes demonstrationem procedemus in infinitum, et sic evertetur demonstratio. Sin autem secundum, ea ipsa, quæ sunt ex se credibilia, erunt principia demonstrationum. Jam vero philosophi fatentur esse indemonstrabilia principia universorum. Quomobrem si est demonstratio, necesse est prius esse aliquid ex se credibile, quod quidem dicitur primum et indemonstrabile.*

(2) *Metaphysicor.* lib. 11.^o, lect. 6. paragr. k. Cfr. t. p. q. 1, art. 8.

homines, ut cognita repugnantia intrinseca scepticismi, et vanitate argumentorum, quibus probatur, ab eo amplectendo deterreantur (1).

Ad extremum dixi in propositione, cum eo, qui perfectum atque universalem proficetur scepticismum, nullam institui disputationem posse. Si quis enim quaedam principia ut certa et indubitata admitteret, posset ex illis revinci falsitatisque coargui.

53. PROPOSITIO 2.^a Perfectus atque universalis scepticismus naturæ humanæ physice repugnat.

Probatur. Impossibilis est physice status ille, in quo nullius prorsus rei certitudo habetur. Ergo...

Antecedens patet experientia ejusque. Nam non modo certissime scimus nos existere (2), sentire, cogitare, famem, sitim, innumerasque alias affectiones subire; sed negare prorsus nequimus principium contradictionis aliaque bene multa, tum immediata tum mediata, judicia. Hæc enim ex principiis per se notis evidenter atque ineluctabiliter derivantur; principia vero per se nota (3) verissima esse constat, in tantum, ut nec falsa esse possibile sit cogitare. Possunt quidem hæc ore negari, quia nihil est adeo verum, inquit Angelicus cum Stagira, quin voce negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingat idem esse et non esse, quidam ore negaverunt. Quaedam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo in interiore ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori, quæ est per vocem (4).

Experire, quæso, utrum dubitare possis num circulus sit quadratus, duo et quinque conficere septem etc.

Hoc argumento sæpe usus est Magnus Augustinus. Multa sunt, inquit, quæ academici in dubium revocare non possunt: quale est illud: Scio me vivere aut cogitare. Ubi nec dici

(1) Cfr. S. Thom. 1. p. q. 1, a. 8; *Metaphysicor.*, lib. 4, lect. 6, ubi de redarguendis iis, qui prima principia negant.

(2) Nullus unquam erravit in hoc, quod non perciperet se vivere. S. Th. de Verit., quaest. 10, a. 8, ad 2.^m

(3) *Contra Gent.*, lib. 1, c. 21; lib. 1. *Posterior. analyticor.*, lect. 19.

(4) S. Thom., 1.^a *Posterior.*, lect. 19, post initium. Cfr. ib. lect. 7.

potest: Fortasse dormis, et nescis, et in somnis vides. Quia et dormire et in somnis videre viventis est (1). Et alibi: Omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re, quam intelligit, certus est: de vero igitur certus est. Omnis igitur, qui utrum sit veritas dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare (2).

Conferri possunt, quæ Balmesius scribit de ineluctabili existentia certitudinis in mente nostra (3).

54. PROPOSITIO 3.^a Scepticismus est systema in se intrinsece repugnans ac maxime perniciosum.

Probatur 1.^a pars. Intrinsece repugnans. 1.^o multiplici argumento ad hominem: α) Systema scepticum negans a nobis veritatem cognosci posse, vel est verum vel falsum. Si verum est, jam saltem hæc veritas a nobis cognoscitur, itemque probationes, quibus fulcitur scepticismus; si falsum, jam veritas a nobis cognosci potest. Ergo scepticismus intrinsece repugnat, estque una ex illis sententiis, quæ seipsas destruunt (4). Si nihil sciri potest, inquit Lactantius, necesse est idipsum scire; quod nihil sciatur. Si autem scitur posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur nihil posse sciri. Sic inducitur dogma sibi repugnans, seque dissolvens (5).

β) Scepticismus dum asserit de omnibus dubitandum esse ob timorem deceptionis, jam supponit certam existentiam hominum, et facultatum cognoscitivarum, quæ, ne in omni apprehensione fallantur, timet. Ergo pugnantia continet.

Antecedens patet. Si enim fallor, sum, inquit M. Augustinus. Nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc

(1) S. August., *Contra Academ.*, lib. 3, c. 11, 12, 13. Cfr. de Civitate Dei, lib. 11, cap. 26.

(2) S. August. *De vera religione*, c. 36, n. 75.

(3) *Filos. Fundament.*, lib. 1, cap. 3.

(4) Vide S. August., *Contra academ.*, lib. 3, cap. 9.

(5) Lactant., *Divinar. Instit.*, lib. 3, cap. 6.

sum, si fallor. Quia ergo sum, si fallor, quomodo me esse fallor, quando certum est, me esse, si fallor? (1).

γ) Qui negat dari certitudinem, aut sciri quidquam posse; vel scit quid sit certitudo, et quid sit scire, vel non. Si nescit, quomodo negat dari id, quod nescit? Si scit, jam aliquid habemus, quod sit certum, et sciatur.

Itemque qui nihil sciri posse ait, vel de omnibus esse dubitandum, ne in errorem incidat, debet scire quid sit scientia, quid sit dubium, quid certitudo, quid veritas, quid falsitas, et in quo hæc discriminentur. Ergo dum nihil se scire profitetur, multa se scire ostendit scepticus (2).

δ) Scepticus ait facultatibus cognoscitivis fidendum minime esse. Atqui idipsum undenam scit, nisi per usum facultatum suarum? Ergo dum diffidendum esse facultatibus asserit, ipse fidet illarum testimonio.

ε) Scepticus vel habet aliquam rationem, in qua fulciat suum systema, vel non. Si non habet, audiendus non est. Si vero habet, jam illa veritas cognoscitur (3).

Prob. 2.^o Absurdum est illud systema, quod docet id abjiciendum esse, quod naturaliter abjici nequit. Atqui certitudo naturaliter abjici non potest, ut in præcedenti propositione ostensum est. Ergo...

Prob. 3.^o Homo appetitu naturali veritatis cognoscendæ perpetuo urgetur. Atqui prorsus repugnat ineptum aliquid

(1) S. August., *De Civit. Dei*, lib. 11, cap. 26.

(2) *Non solum qui dicit: Scio, et verum dicit, necesse est, ut quid sit scire, sciat; sed etiam qui dicit: Nescio, idque fidenter et verum dicit, et scit verum se dicere, scit utique quid sit scire, quia et discernit a sciente nescientem, cum veraciter se intuens dicit: Nescio: Et cum id se scit verum dicere, unde sciret, si quid sit scire nesciret?* S. August., *de Trinit.*, lib. 10, cap. 1, n. 3. Cfr. *Contra academ.*, lib. 3, cap. 14, n. 32, et lib. 2, cap. 12, n. 27.

Ita etiam Lucretius, lib. 4:

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit,

An sciri possit, cum se nil scire fatetur.

Hunc igitur contra nitar contendere causam,

Qui capite ipso suo insistit vestigia retro.

Et tamen hunc quoque ubi concedam scire; at id ipsum

Quæro, cum in rebus verum nil viderit ante.

Unde sciat, quid scire et nescire vicissim.

(3) Vide S. August., *de Trinit.*, lib. 15, c. 12. Clem. Alex. *Strom.* 8.

esse ad id assequendum, ad quod natura ipsa perenniter impellitur. Ergo... (1).

55. Probatur 2.^a pars. *Scepticismus est systema perniciosum.*

1.^o Scepticismus divinam fidem, quæ summam continet certitudinem, destruit, et sacrosanctæ religionis nostræ dogmata convellit.

Dices, continendum esse scepticismum intra limites cognitionum naturalium, et fidem divinam sartam, tectam, servandam cum infallibili sua certitudine, quæ ex auctoritate sapientissimi ac veracissimi Dei derivatur.

Resp. Atqui impossibile est, fidei divina dogmata certo tenere, nisi tamquam certæ admittantur nonnullæ veritates, quæ præambulæ dicuntur ad fidem, et sine quibus fides esse non potest. Nam quomodo credet ob auctoritatem Dei, qui nescit Deum, aut nescit sapientem veracemque, aut ignorat revelationem ipsius? Hæc autem ipsa certo sciri nequeunt, nisi alia bene multa lumine naturali certissime cognoscantur.

Præterquam quod non semel decrevit Ecclesia contra Traditionalistas posse rationem humanam plura certo cognoscere.

2.^o Præterea qui de omnibus dubitandum esse existimaverit, negaveritque veritatem a nobis cognosci posse, dubitabit etiam, num bonum sit faciendum, malum fugiendum, virtusque exercenda. Verbo, in dubium revocabit prima moralitatis principia, primaque legis naturalis præcepta: hoc vero si semel admittatur, nullo jam freno compesci poterit homo, ne vitii indulgeat, moresque suos principii moralitatis accommodet. Ordo enim moralis certa et immutabilia fundamenta supponit; certamque recti conscientiam in singulis actibus habeat quisque, oportet, ne vitio aliquo polluat (2).

Etiamsi quis vellet scepticam doctrinam intra limites ordinis dumtaxat speculative continere, quantopere tamen ordo speculativus in mores influat experientia quotidiana nimis

(1) Vide Conimbricenses., *Comment. super Octo libros Physicorum.*, *Proem.*, quæst. 2. art. 3.

(2) Cfr. S. August., *Contra Academ.*, lib. 3, cap. 16.

demonstrat innumerorum scelerum, quæ aliud non sunt nisi consequentia practica totidem errorum, quibus imbuta mens improborum erat. Si sæpe homines cæteroque recte sentientes, contra redarguentis conscientie stimulos calcitrant, intimisque persuasionibus reluctantes, tot criminibus vitiantur, quid fieret si persuasum cuique foret, sciri non posse quid sit bonum, quid malum, quænam utriusque differentia, quænam præcepta servanda?

Concludendum itaque est cum Magno Augustino: *Quod autem attinet ad illam differentiam, quam de academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omnino Civitas Dei (bonorum nimirum societas) talem dubitationem tanquam dementialem detestatur, habens de rebus, quas mente atque ratione comprehendit, etiamsi parvam propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, quoniam sicut dicit Apostolus: Ex parte scimus (1), tamen certissimam scientiam: creditque sensibus in rei cuiusque evidentia, quibus per corpus anima utitur; quoniam miserabiliter fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum. Credit etiam Scripturis Sanctis, et veteribus et novis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur a Domino; qua salva atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percepimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine justa reprehensione dubitamus (2).*

SCEPTICORUM ARGUMENTA DISSIPANTUR.

56. **Objie.** 1.^o Maxima cernitur apud diversos populos et homines opinionum varietas. Immo vero apud ipsos Philosophos innumeræ fuere sectæ contradictoriæ. Atqui hoc ostendit certo a nobis res cognosci non posse. Ergo...

Resp. dist. Maj. In omnibus rebus etiam evidentibus, *neg.*, in obscuris, *conc.* Et *contradistincta* Minore, nego consequentiam. Res clara est (3).

(1) 1 Cor. c. 13, v. 9.

(2) De Civitate Dei, lib. 19, cap. 18.

(3) Vide S. Thom., lib. 2. *Metaphys.*, lect. 1, paragr. c.

Obj. 2.^o Nihil certo admitti potest, quin demonstretur. Atqui aliunde nihil potest vere demonstrari. Nam ut quidquam sufficienter demonstraretur, vel abeundum esset in infinitum in probatione præmissarum, vel probanda præmissarum aliqua per aliam propositionem, quæ vicissim per primam foret demonstranda, vel sistendum tandem in aliquibus principiis, quæ tamquam vera assumantur. Primum horum impossibile est, alterum inducit vitiosum circulum, tertium absurdum est, secus enim principia illa sine ratione admitterentur. Ergo impossibilis est quæcumque demonstratio (1).

Resp. neg. Major, et Minor. Ad hujus probationem respondeo concedendo majorem et negando ultimum membrum Minoris.

Nihil certo admitti debet absque ratione; sed non omnis ratio petenda est extrinsecus ex alio objecto, sed ratio sufficiens, immo fortissima omnium est illa, quæ in ipsa re, de qua sermo est, immediata intuitionem atque evidentiam deprehenditur. Sic etiam nullum corpus visibile est absque lumine, sed opus non est semper aliunde emendicato lumine ad videnda corpora, sunt enim quedam proprio lumine visibilia.

Obj. 3.^o Illa doctrina est amplectenda, quæ omnium remotissima est ab omni errandi periculo. Atqui tale est scepticum systema. Ergo...

Et probatur Minor. Nam error est vel assensus falso præstitus, vel dissensus a vero. Scepticismus autem cohibendum esse in omnibus assensum docet.

Resp. neg. vel *dist.* Maj. Amplectendum est systema quod id solum præstat, ut nos ab erroribus revocet, *nego*; quod non modo revocat ab erroribus, sed insuper ad veritatem ducit cognitionem, *conc.* Secus enim lapis versaretur in longe præstantiori conditione respectu veritatis assequendæ, quia errare nullo modo potest.

Contradistinguo Minorem. Scepticismus ducit ad veram rerum cognitionem, *neg.* Revocat ab erroribus, *subdist.*, ab aliquibus, impingendo in alios longe turpiores, *conc.*, ab omnibus *nego*. *Miserabiliter enim fallitur, qui nunquam putat*

(1) Hic continentur duo ex quinque argumentis, quibus Agrippa scepticismum confirmabat.

facultatibus cognoscitivis esse credendum, quam qui illis credendo, nonnunquam fallitur, quemadmodum docet S. Augustinus (1).

Ad probationem Minoris respondeo, *distinguendo* Minorem. Scepticismus docet cohibendum esse in omnibus assensum, ita tamen ut per intrinsecam et ineluctabilem contradictionem multis assentiat, *conc.*, secus, *neg.*

Ad rem S. Augustinus: *Non solum puto eum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur* (2). Idque deinceps pulchre atque eleganter exemplo declarat.

Obj. 4.^o Sufficit errores cavere, cum veritas obtineri non potest. Atqui reapse obtineri veritas nequit. Nam ratio nostra fallibilis est.

Resp. *neg.* Minor., et probationem *distinguo*: in omnibus, *neg.*; in aliquibus, *conc.*

Obj. 5.^o Sæpe dum rem nos vere percepisse putabamus, decepti fuimus. Ergo nunquam certi esse possumus de veritatis assecutione.

Resp. *nego* consequentiam. Nam contingere utique potest aliquando, ut per accidens quis fallatur, existimans rem certo quodam modo esse; sive id eveniat ob ignorantiam latentis alicujus exceptionis in legibus physicis aut moralibus factæ, sive ob inconsiderationem, sive ob affectuum illecebras, quæ objecta sub apparenti quadam claritate perperam repræsentent. Ejusmodi autem causæ deceptionis in plurimis aliis cognitionibus meridiana luce manifestioribus locum habere nequeunt. Non est ergo ideo neganda facultas assequendi veritatem, sed caute semper procedendum, ubicumque subest aliquod erroris periculum.

Objic. 6.^o Cognitiones nostræ relativæ sunt essentialiter: nimirum, exprimunt objecta secundum quod certo quodam modo nos afficiunt. Atqui ejusmodi cognitiones nequeunt referre nisi apparentiam rerum, non vero ipsam objectivam realitatem. Ergo saltem de hac nihil certi a nobis sciri potest.

Respondeo 1.^o retorquendo argumentum. Quia si verum est hoc scepticorum argumentum, non minus probat hanc

(1) Loc. nuper cit. *De Civit. Dei*, lib. 19, c. 18.

(2) *Contra academ.* lib. 3, c. 15.

ipsorum ratiocinationem realitatem objectivam ac veritatem, prout in se est, minime referre.

Resp. 2.^o *Negando* Majorem. Licet enim sint in nobis cognitiones, quæ referunt objecta secundum quod certo quodam modo nos afficiunt; at vero sunt etiam aliæ innumerae cognitiones detegentes objectivam realitatem, prout est in se ipsa.

Objic. 7.^o Ut mens quidquam certo teneret, deberet illius naturam atque attributa omnia perfectissime cognoscere; secus enim semper dubium suboriri posset, ne non aliquod attributum latens aliis, quæ cognita rite videbantur, repugnaret. Atqui nullius rei possumus omnia attributa cognoscere. Ergo...

Respondeo: *nego* Major. ejusque probationem. Revera sufficit circuli naturam novisse, licet multæ proprietates ejusdem ignorentur, ut certo possit judicari circulum non esse quadratum.

Objic. 8.^o Res, quæ cognosci possent vel sunt æternæ, vel factæ, vel possibles. Atqui æternas nequimus cognoscere, cum ignoremus, quid sit æternitas; nec temporales seu factas, quia motui ac variationi subjacent, scientia vero est de inmutabilibus. Unde a fortiori ignoramus res possibles.

Resp. *neg.* Minor. Nam scimus quid sit æternitas, et res quoque æternas aliquo modo scire possumus. Res etiam temporales, licet quoad existentiam mutationi subjaceant, non tamen quoad notas essentielles. Denique ex rebus existentibus possumus etiam aliqua possibilia intelligere (1).

Objic. 9.^o Res non cognoscimus nisi per sensus. At sensus non attingunt, nisi externas modificationes. Ergo...

Resp. Præter sensus habemus intellectum, qui ex sensuum relatione pervenit ad notitiam eorum, quæ sensum effugiunt (2).

Difficultates, quæ ex facultatum nostrarum cognoscitivarum fallibilitate depromuntur a scepticis, suo loco dissipabuntur.

(1) Vide Rosell., *Summa Philos.* t. 1, q. 29, a. 1.

(2) Id. ib.

ARTICULUS III.

De proprietatibus certitudinis.

Ad enucleandam certitudinis naturam, valde juvant non nullæ quæstiones, quæ attributa illius affectionesque respiciunt, quales sunt connexio ejusdem cum evidentiâ, et graduum varietas ac principium: de quibus proinde breviter agendum est.

57. PROPOSITIO 1.^a Non est de essentia certitudinis evidentiæ, sed actus certus esse potest, quin sit evidens, aut ex objectiva rei evidentiâ procedat.

Supponimus hic notionem evidentiæ, quæ mox exponetur.

Probatur 1.^o Nam actus divinæ Fidei supernaturalis certissimus est, ut supponimus ex Ecclesiæ doctrina. Atqui tamen evidentiâ minime gaudet.

Idem dicendum est de conclusionibus theologice certis. Atque inde exoritur quæstio, an Theologia dogmatica sit scientia, et utrum ad veri nominis scientiam requiratur evidentiâ, an vero sufficiat certitudo: qua de re alibi disputandum est.

Prob. 2.^o Non repugnat dari motivum assensus, quod non solum sit firmissimum in se prorsusque infallibile, sed etiam tamquam rationabiliter indubitabile proponatur intellectui, quamvis non tam evidenter appareat ejus existentia, ut non possit saltem imprudentissime in dubium revocari. Atqui motivum hujusmodi assensum gignere debet certum simul et invidentem. Ergo...

Major manifesta est in revelatione divina, cujus existentia ita irrefragabilibus argumentis ostenditur, quæ nullum relinquunt locum rationabili ac prudenti dubio, licet nequeant impedire, ne imprudens aliqua formido vel scrupulus pulset animum. Vix enim ullum est factum historicum tamquam certum communiter admissum, quod tam invicte demonstratur, ac revelationis existentia.

Minor etiam patet. Quia motivum hujusmodi revera firmissimum est, et nequit non assensum quoque gignere

Certitudo non postulat necessario evidentiâ.

infallibilem. Quod si ob defectum evidentiæ non sufficiat per seipsum ad extorquendum assensum ab intellectu; at certe meretur, ut voluntas defectum illum suppleat imperando firmissimam adhæsiōnem: et si voluntas id non faciat, imprudenter atque inhoneste aget. Etenim evidens est, ubicumque irrefragabilibus argumentis convincitur existentia divinæ revelationis, voluntatem posse ac debere imperare, ut illam intellectus teneat, et propter illam etiam veritati revelatæ assentiatur credendo, quia id exigit obsequium Deo revelanti debitum.

Apposite S. Thomas: *Voluntas determinat intellectum ad aliquid, quod neque per seipsum videtur, neque ad ea, quæ per se videntur, resolvi posse determinat ex hoc, quod dignum reputat illis esse adverbendum propter aliquam rationem, qua bonum videtur ei, illi rei adverbere: quamvis illa ratio ad intellectum determinandum non sufficiat propter imbecillitatem intellectus, qui non videt per se hoc, cui assentiendum ratio judicat, neque ipsum ad principia per se nota resolvere valet: et hoc assentire proprie vocatur credere* (1).

Nota autem bene, in ejusmodi assensu fidei certo et evidenti, quo credimus aliquid propter revelationem Dei, deesse quidem evidentiâ veritatis, sed adesse evidentiâ credibilitatis. Deest evidentiâ veritatis, tum quia res, quæ creditur non perspicitur in se neque immediata neque mediata evidentiâ, tum quia etiam motivum propter quod creditur, revelatio Dei, non est evidens proprie, licet irrefragabilibus argumentis certo demonstratur: quare veritas ipsa, quæ creditur, caret in se omni evidentiâ, sive intrinseca sive extrinseca; et ideo formalis actus fidei obscurus et invidens est, licet certissimus.

Adest autem evidentiâ credibilitatis, quia evidens est veritatem, pro qua amplectenda militat argumentum ita propositum ac demonstratum, sicut proponitur ac demonstratur existentia divinæ revelationis ex signis, quæ vocant credibilitatis, posse ac debere credi, seu credibilem et credendam esse (2).

In actu Fidei divinæ non adest evidentiâ veritatis.

sed adest evidentiâ credibilitatis.

(1) S. Th. 3.^o dist. 23, q. 2, a. 2, solut 1. Cfr. de Verit. q. 14, art. 1; 1. 2. q. 9, a. 1.

(2) Cfr. S. Th. 1. Contra Gentes. cap. 6.

Unde licet actus ipse credendi formalis obscurus sit, *evidens* tamen est iudicium præcedens, quo veritatem revelatam credibilem et credendam esse ratio decernit, qui actus, ut patet, distinctus est ab ipso formali actu credendi seu Fide. Nam illi iudicio succedit liberum imperium voluntatis (*piam affectionem* vocant Theologi) præcipientis actum fidei, ac postea ex determinatione hujus imperii sequitur tandem actus ipse formalis fidei, quem ponit intellectus.

Dices. Ex motivis credibilitatis non minus evidens reddi videtur existentia revelationis divinæ, quam facta historica, quæ aliorum testimonio cum certitudine novimus. Atqui in hujusmodi factis adest evidentia saltem moralis. Ergo etiam evidens moraliter est revelationis divinæ existentia. Cum vero aliunde divina veracitas evidenter cognosci lumine naturali possit, verum non est in Fide divina certitudinem absque evidentia dari.

Resp. Difficultas hæc in Theologia melius dissolvenda est. Nunc tamen breviter dici potest, quamvis facta naturalia ex aliorum testimonio evidentiam sortiri possint, id tamen non accidere in facto divinæ revelationis. Ratio vero esse potest arduitas divinæ revelationis, quæ est factum supernaturalis, ac sublimitas revelatæ doctrinæ, humanum captum superantis, ac non pauca affectibus corruptæ naturæ contraria præcipientis, quæ efficit, ut imbecillis ratio nostra nequeat revelationis existentiam ea claritate percipere, qua experimur nos percipere alia facta intellectui nostro proportionata.

Quæ cum ita sint, plane cernitur, quomodo possit Fides divina, ut sæpe solet, tentationibus ac perturbationibus obnoxia esse in animis fidelium, ob defectum nempe evidentie (1); evidentia tamen credibilitatis minime patitur, ut quis moveri se sinat hujusmodi perturbationibus, si rationabiliter agere velit. Nec potest quispiam deliberate admittere formidinem hujusmodi ullam de rebus a Deo revelatis, quin peccet contra virtutem Fidei.

(1) Vide Suarez, *de Fide*, disp. 6, sect. 5, n. 12; Ripald., *de Fide* disp. 11, sect. 2, n. 16; Haunold., *Controv.* 5, n. 254; Card. Franzelin, *De Divina Traditione et Scriptura*, Append. 1. 3. Clr. P. Sanctus Schiffrini, *Principia philos. ad mentem Aquin.* n. 303, 304.

Sed hæc delibasse satis superque nobis est, ad Theologos enim spectant.

58. PROPOSITIO 2.^a Certitudo nequit resultare ex mera probabilitatum summa vel accumulatione.

Nota. Propositio hæc est contra Genuensem (1), aliosque (2) putantes certitudinem secari posse in varios gradus probabilitatis, velut in totideq; fractiones, et ex illorum complexione posse certitudinem coalescere, sicut unitas numerica ex congerie plurium fractionum.

Certitudo non resultat ex summa probabilitatum.

Probatur: Si certitudo coalesceret ex mera probabilitatum summa seu accumulatione, formidinem non posset excludere. Atqui certitudo, quæ omnem formidinem non excludat, vera certitudo non est, ut constat ex ejus definitione. Ergo.

Major. Nam probabilitas, dum remanet intra suos limites, adnexam semper habet formidinem. Ergo etiam complexio plurium probabilitatum per se sufficere nequit ad penitus expellendum timorem ac dubietatem. Nam ubi non aliud habetur, quam summa probabilitatum, non est undenam existat infallibilitas et firmitas assensus, quas vindicat sibi certitudo. Probabilitas namque importat grave quidem momentum, sed non infallibile, quod si infallibilitatem nacta fuerit, desivit esse probabilitas.

59. **Objc. 1.^o** Unius viri testimonium, saltem plerumque, non præbet nisi probabilitatem. Si vero alia accedant testimonia, quæ similiter singillatim inspecta, probabilia tantummodo sint, ex omnium complexu resultat motivum firmum atque infallibile assensus moraliter certi. Ergo ex congerie probabilitatum existere potest certitudo.

Resp. Revera ubi collecta sunt plura de eadem re testimonia in certis quibusdam adjunctis, desinunt esse probabilia, evidens quippe est in ejusmodi adjunctis veracitas singulorum testium, quæ vere aderat, sed patere nobis aliter non poterat. Itaque in illis adjunctis, de quibus dicitur inferius, jam non adest mera probabilitatum congeries, sed evidentia veracitatis cujusvis testis.

(1) Antonius Genuensis, *Logica ital.* lib. 3, cap. 2.

(2) Apud Sanseverino, *Logica Criterol.* art. 1, n. 3.